

Fuit quidem vel a primis temporibus sancta Ecclesiae institutio tempora diei ita piis officiis partita haberi, ut praeter illa spatia, quae aut necessariae quieti aut muneribus vitae debitis interjiciuntur, dies noctesque statis quibusdam horis in divinis laudibus Clericorum coetus versarentur. Hinc distributa horarum intervalla ac discrimina, quibus singulis hymni, preces et psalmi cuique apti tempori mysterioque adscripti sunt. Ex benignitate tamen Ecclesiae praecipua nunc horarum distributio inter matutinas et vespertinas animadvertitur. Quare id etiam contendere, ut vespertinae horae ipso mane recitentur, absonum nimis ab Ecclesiae institutis videtur. Datum quidem haud raro est, quando praesertim vehementius in hieme frigus aut coeli infesti gravitas aut justae aliae causae intercedunt, ut vespere post completorium Matutinum recitetur, idque saepe a sacro hoc Ordine concessum est. Bened. XIV. Inst. 107. num. 20., *Braschius* in Prompt. Synod. cap. 86. num. 18. S. C. C. Abulen. 23. Junii 1790.

At praeverti ante meridiem vespertinas horas nimium ab Ecclesiae consiliis in officiorum tempore definiendo abhorre visum est. Sacris enim Ecclesiae praescriptionibus sancita est facultas recitandi superiori die post prandium Matutinum cum laudibus; ac proinde facilius, quod privatim peragi officium potest, id et de publica precatone permittitur.

Nihil tamen secius adsunt et de petita per Sarnenses Canonicos concessione nonnulla exempla; ac prae ceteris commemorandum est rescriptum a Benedicto XIV. editum anno 1744, quo Collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Anconitanae permissum est, Vesperas cum completorio recitari horis matutinis tempore hyemali a die se-

cundo Novembris ad dominicam Palmarum exceptis diebus festis, *Syn. Ancon. Card. Bufalini* lib. 1, tit. 2 et in app. par. 2. n. 4. §. 28. Probe enim noverat providentissimus ille Pontifex, qui Ecclesiae Anconitanae praefuerat, quo labore ascensus pateret ad sacram illam Aedem, quae in summo monte est. Sacer autem hic Ordo superiori anno, habita inprimis ratione perexigui Canonicorum numeri, qui ex Collegarum infirmitate superant, necnon asperioris loci naturae, eadem facultatem Sarnensi Collegiatae s. *Matthaei* ad quinquennium, nisi prius numerus Canonicorum augetur concessit. S. C. C. Sarnen. 24. Mart. 1832.

Verum pro Sarnensis Capituli petitione perpendendum est, aliquid jam eidem olim datum fuisse ab Episcopis, licet nulla, quod constet, ipsis tributa in eam rem facultas esset ab Apostolica Sede. Animadvertant EE. PP. an ex Episcopi voto annuendum precibus sit.

Dubium:

An et quomodo Capituli Cathedralis Ecclesiae Sarnensis concedendum sit indultum recitandi mane Vesperas cum Completorio mensibus aestivis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, facto verbo cum Sanctissimo.

Die 30. Mart. et 25. Maii 1833.

VESTES.

1) Ecclesiasticae.

a) Materia.

Vd.: *Paramenta* (materia); *Suppellectilia*.

Eminentissimi et reverendissimi Patres.

Sapientissimo judicio Vestro haud levis momenti proponitur quaestio, quae

novitatem in sacris ritibus inducendam respicit. Paucis abhinc annis mos invaluit in Galliis telas sericas vitreas texendi, quibus vestes ecclesiasticae sacrificio Missae aliisque divinis officiis inservientes conficiuntur. Ex nonnullis planetis Romam dono missis viris distinctissimis dignoscitur texturam seu ut ajunt l'orditura ex gossipio aut simili materia solida compositam esse, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea lucidissima, quae aurea dixisses si ex vitro lux auro simillima produci posset; vitrum autem in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eo pacto, quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis auro vel argenteis a peritis artis textoriae lama d'oro, e d'argento nuncupatis vel etiam admodum operis phrygii disponuntur juxta proprium vocabulum di proccato. Ars hujus inventionis consistit in cognitione rationis, qua filamenta vitrea inserantur, quae facile in minutissima frustula rediguntur: quod ingeniosus auctor nondum patefecit.

Hisce pro dubii explanatione praemissis in ejusdem solutione juvabit imprimis cognoscere quid leges ecclesiasticae super materia sacrarum vestium praescribant.

Rubricae generales Missalis Romani tit.: *Ritus servandus in celebratione Missae cap. 1.* de praeparatione Sacerdotis celebraturi num. 2. advertunt, quod paramenta ipsa non debent esse lacera aut scissa sed integra ac decenter munda ac pulchra. Requiritur itaque ab allato textu decentia in sacris vestibus, quae Missae inserviunt: sicut etiam eruitur ex *can. Vestimenta de consecratione dist. 2.*: Vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur et sacrata esse debent et honesta, quibus aliis in usibus non debent frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis

officiis. Quam sententiam sequuntur Scriptores ecclesiastici, qui unanimiter sentiunt in sacris vestibus decentiam requiri ac propterea tenent quod quo magis materia ista pretiosior fuerit et decentior eo erit Deo gratior ac ipsius Ecclesiae menti conformior tamquam correspondens venerationi debitae augustissimo Sacramento. Hinc necesse erit inquirere utrum ob stabilitatis defectum, vilitatem ornatus et rei novitatem hujusmodi vestes ecclesiastico cultui convenient.

In texturis vitreis stabilitatem non reperiri probatissima res est, quia vitrum ad subtilitatem redactum est fragilissimum ac praeterea secat quamlibet leviolem materiam, quae ipsum pertingat. Praeterea si telae praedictae pluentur contra ordinem ejusmodi texturae, filamenta vitrea in minutissima frustula facile confringuntur, sericum scindunt, a textura dividuntur et in calicem et corporale prosiliunt. Potest etiam evenire, quod Celebrans redeat ab Altare cum planeta omni ornatu carente, immo etiam deformi ob filamenta quae pendere possunt a locis ubi vitrum insertum erat, nam in texturis admodum phrygii operis ita filamenta vitrea ordinata sunt, ut unum ab altero sustentetur ac propterea si decidat filamentum, a quo reliqua sustententur, deperit illico forma ornatus, florum, crucis aut similis rei vitro elaboratae nihilque remanet nisi filamentorum acervum: ex qua laceratione vestes sacrae ad quodlibet officium ineptae reddantur. Ut itaque videtur periculum, quod particulae vitri cadant in calicem aut corporale, et quod post breve tempus vestes sacrae deformes appareant, hujusmodi textura ab officiis divino cultui deputatis excludenda erit, habita quoque ratione ad vilitatem materiae ipsius, quae opponitur praxi et usui omnium eccle-

siarum ab ipsis religionis christianae servato.

Et re quidem vera ex textu superioris relato requiritur in vestibus sacris pulchritudo, nempe quod materia quibus conficiuntur sit pretiosa, sicut ab omnium saeculorum monumentis colligitur: constat enim catholicos curam omnem insumpsisse, ut quaevis ornamenta sacris mysteriis deputata splendidissima semper et pretiosissima apparerent. Sufficiat pro primis Ecclesiae saeculis testimonium auctoris libri Constitutionum apostolicarum, qui splendidam vestem in missa adhibitam commemorat. Pro sequentibus saeculis sat erit neminisse stolam aureis filis contextam a Constantino Magno donatam Macario Hierosolymorum Antistiti, casulam purpuream auro gemmisque praetextam, stolam et orarium aurea textura et pretiosarum gemmarum sideribus insignita, quibus s. Augustinus Anglorum Apostolus A. D. 600 s. Livinum decoravit a die, qua illum Sacerdotem consecravit, et sexcenta alia testimonia, quae passim apud ecclesiasticos scriptores reperiuntur. Pro medio aut infimo aevo ab ecclesiasticis scriptoribus innumera proferuntur testimonia nobisque sufficient exempla Joannis Abbatis Monasterii Montis Casini, qui A. D. 937 planetam cum listis argenteis pro captivorum redemptione hostibus tradidit, et uxoris Roberti Guiscard A. D. 1036. b. Benedicto planetam purpuream cum friso et cum aquila de margaritis et tunicam unam de panno perso inaurato offerentis. Tandem inutile est pro sequentibus temporibus auctoritatibus rem probare, cum nemo dubitet in sacrarum vestium ornatum aurum, argentum gemmasque semper adhibitas fuisse. Igitur apparet non recte substitui vitrum auro, argento, gemmis reliquisque materiis pretiosis, quibus per tot saecula consuevit ornari sacras

vestes ac proinde novum morem, de quo est sermo, usui tot saeculis religiose servato adversari immo novitatem sapere, quam semper exhorruit Ecclesia.

Facile ostendi posset Ecclesiam semper novitates repugnasse, quae absque necessitate ordinem praescriptum perturbant. Quin antiqua facta recinamus, duo nobis occurrunt recentissima exempla, quae versabantur circa novitates in Ecclesiis inducendas, substituendo videlicet lineae suppellectili pro Celebrantis et Altaris usu telas ex gossipio confectas et candelis cereis candelas ut vocant stearinas. In primo casu haec S. Congregatio, cui huiusmodi quaestiones perlatae fuere cuique incumbit ob sui institutionem ritus veteres retinere, exoletos restituere, depravatos emendare pro Dei cultu, Sanctorum veneratione, populi christiani eruditione et verae fidei protestatione tuetur usum telae lineae ab Ecclesiae primordiis inductum in altero novitatem respuit respondendo: Consulantur rubricae, quae nedum pro sacrificio et Altaris usu verum etiam in ipso Ecclesiarum ornatu cereas candelas praescribunt.

Addi posset alterum argumentum ex ratione mystica desumptum; etenim in ornamentis aureis vel argenteis, quibus distinguuntur sacrae vestes, virtutes indicantur, quae in actibus omnibus, comitare debent Sacerdotem juxta Ivonem Carnotensem, aut angelorum imago repraesentatur in ornatus decore ex s. Gregorii Nazianzeni sententia.

Verum quae attulimus sive pro decencia Sacrificii sive ex usu et praxi tot saeculorum sive ex novitate rei, quae semper in usibus ecclesiasticis perniciose fuit, ejus ponderis esse videntur, ut novam huiusmodi texturam ab Ecclesiis eliminent.

Verum inter hasce rationes, quae ab usu sacro vitreas texturas excludunt, maximi ponderis est argumentum quod depromitur a scandalosa novitate, quae in sacris ritibus quotidie adduci vellet. Utinam in locis divino cultui dicatis servaretur gravitas, quae decet Domum Dei et domum orationis sicut ex tot loculentissimis patrum nostrorum exemplis edocemur. Certe profanationi via quaevis intercluderetur, si quaerendo quae Dei sunt in ipso apparatu, in musicarum harmonia, in luminum quoque dispositione, immo in ipsa Verbi Dei praedicatione, loca sacra a theatris aliisque profanis spectaculis distinguerentur. Adverti quidem posset cum s. Innocentio: Si instituta ecclesiastica integra vellent servare Domini Sacerdotes nulla diversitas, nulla varietas haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc aestimat esse tenendum inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur ac fit scandalum in populis etc. Itaque proposito dubio negative responderem, si tamen videbitur sapientissimo iudicio Vestro, cui, quae hucusque exposui, humillime submitto.

Corresp. de Rome 14. Junii 1831. num. 67. 284.

b) Nitore.

Quod Deus in veteri testamento et praecipue in Exod. cap. 28. de necessitate atque nitore sacrarum suppellectilium, quae cruentis sacrificiis inservire debebant, praescripsit, Ecclesia catholica a primis usque temporibus ad majorem divini cultus splendorem penitus adimplevit. Testis est Theodoritus Hist. Eccl. lib. 2. cap. 27. pag. 3., qui refert ipsum Constantinum Macario Episcopo Hierosolymitano sacram vestem aureis filis contextam donasse, ut ea indutus Sacra posset

peragere. De necessitate ac nitore s vestium sancitum fuit in concilio Laodic. anno 363. can. 22. et 23., in in Concilio Carthaginiensi IV. Can. 41. Idipsum ss. Patres voluere, ut Gregorius Nazianzenus in Som. de Athanasio tom. 2., Hieronymus lib. 1. contra Pelagium, Chrysostom. Homil. 6. ad popul. Antiochen., s. Leo IV. in homil. de cura pastoral. tom. 8., concil. general. Collect. Labbeon., s. Petrus Damian. lib. 4. Epist. 14. tom. 1., Conc. Lateran. cap. 19. relat. in cap. Relinqui 2., Conc. Trid. sess. 22. cap. 5., ibi: „Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine admniculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia vestes instituit aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo mentes Fidelium per haec visibilia Religionis et Pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur.“

(Ex resol. S. C. C. die 8. Augusti 1801. Praenestina.)

Vd.: *Paramenta; Munditia; Suppellectilia.*

c) Profanus usus.

Vd.: *Vasa s. (prof. usus); Paramenta.*

Vestes sacrae non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap.: *Semel 51.* de Reg. Juris in 6. et concordat can.: *Quae semel 4.* caus. 29. q. 3. Nec ad alios usus, quam quibus dedicatae sunt, transferri debent; can.: *vestimenta 42.* et can.: *Ad nuptiarum 43* de consecr. dist. 1.

d) Vetustae.

Vestes sacrae, cum fuerint vetustate consumptae, incendio dandae sunt et cineres in Baptisterio vel alio loco

abdito et honesto condi debent; can.: *Altaris palla* 37. de consecr. dist. 1.

2) Ecclesiasticorum in eorum Sepultura.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Paramenta Episcopi post obitum.*

VESTIS.

1) Alba in Baptismo.

Vd.: *Bapt.* (vestis).

2) Caudatarii Cardinalis.

Vd.: *Caudatarius.*

Brevis instructio pro DD. Caudatariis circa vestes quibus de more utuntur in functionibus Emorum et Rmorum DD. S. R. E. Cardinalium.

1. Caudatarius in omnibus capellis pontificiis procedit in habitu violaceo, id est, cum toga, veste superiore, vulgo soprana et caputio praedicti coloris; idemque observandum est in capella, quae celebratur die festo sancti Thomae Aquinatis in templo divae Mariae super Minervam.

2. Induet togam violaceam et pallium talare nigrum in omnibus capellis cardinalitiis.

3. Cum eadem toga violacea et pallio nigro progredietur in omnibus supplicationibus et in omnibus publicis precibus, quocumque tempore et in quacumque Ecclesia peragantur sive pro indulgentia sive pro quacumque alia urgente necessitate ipsae fiant. Et hoc servatur si tam in supplicatione vel publicis precibus supradictis interveniat quam si non intervenit Summus Pontifex. Similiter quando peraguntur supplicationes in octava Corporis Christi, quamvis iisdem interesset unus tantum Cardinalis cum cappa ut fieri solet.

4. In omni consistorio publico pro-

cedit cum toga, superiore veste sive soprano et caputio eo modo, quo superius dictum est de capellis pontificiis. Sed in consistoriis semipublicis incedet cum toga violacea et pallio talari nigro; tandem in consistoriis secretis progredietur cum vestibus communibus, quibus pro more utuntur caeteri capellani.

5. In casu earum Congregationum, quibus consuescunt adesse Emi DD. Cardinales si eo tempore in Palatio Apostolico incideret capella pontificia et in fine praedictarum Congregationum Emi DD. optarent interesse capellae, sicuti aliquando obvenire solet, in hoc casu caudatarius incedet cum toga violacea et deferendam curabit vestem superiorem cum caputio, quam induet tunc cum Emi DD. profecturi erunt; ab hoc ingrediatur in capellam cum toga, veste et caputio.

6. Quando S. Pontifex se conferet ad aliquam Ecclesiam sacrificium peracturus caudatarii Emorum Cardinalium accedentium, ut adsint Summo Pontifici sacrum facturo, procedant cum toga et pallio coloris nigri et hic est habitus, quo communiter utuntur caeteri capellani.

7. In exequiis anniv., quae pro summis Pontificibus celebrantur ex more in Basilica Vaticana, induent togam violaceam et pallium nigri coloris, sed tamen in illis, quae persolventur in capella palatii apostolici, togae violaceae adjicient vestem superiorem et caputium, ex eo quia est capella pontificia.

8. In conclusionibus, quae propugnantur in cancellaria a DD. praelatis auditoribus S. R. Rotae et a DD. Advocatis consistorialibus, utentur toga violacea et pallio nigro.

9. Cum Cardinalis Cardinalem of-

5) Episcopi.

Vd.: *Episcopus* (habitus, vestis.) *Episcopus titut.*; *Cappa*; *Mozzetta*; *Titularis episcop.*

a) Regularis.

Vd.: *Regul. episcopus.*

(Privileg.)

*Facultas utendi vestibus episcopali-
bus pro religiosis regni Poloniae, qui
ad episcopalem dignitatem promo-
ventur.*

Venerabili fratri

Prospero Episcopo Sandomiriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit in regno Poloniae consuetudinem invaluisse, ut Episcopi, etiam si in aliquo regulari ordine professionem emisissent, antequam ad episcopatum essent electi, nihilominus apostolico eis suffragante indulto, eodem, quo alii Episcopi, e clero assumpti saeculari, in episcopalibus aliisque eorum propriis functionibus utuntur vestitu, ideoque te, qui in ordine minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupati professionem emisisti regularem, memorato donari privilegio summopere exoptare humiliterque exposcere.

§. 2. Nos igitur te specialibus favoribus prosequi volentes, supplicationibus huiusmodi inclinati fraternitati tuae, ut regulari professione in ordine praedicto a te emissa minime obstante tua durante mora in regno praedicto in posterum eodem vestitu, quo alii Episcopi in regno saeculari assumpti in praedictis functionibus utuntur, ac etiam rocchetto loco cottae in pontificalibus aliisque functionibus peragens uti libere et licite possis et valeas

ficiose visendum adibit, sive visitatio sit publica sive privata, dummodo procedat in habitu, in privatis visitationibus caudatarius visitati praemittet Capellanum, qui visitantis vestem sublevet tam in accedendo quam in recedendo usque ad currum et ipse suum ministerium exhibere debet.

10. In concionibus, cum Cardinalis concionem audiendam adibit, quamvis inducant cappam, ut concioni assistant, caudatarius incedet cum toga et pallio nigri coloris, eo, quia evenire potest, quod passim contingit, ut alter vel plures Cardinales post congregationes se conferant ad audiendam concionem, ubi interest alter Cardinalis; quod cum praevideri non possit ab eorum caudatariis, qui procedunt in habitu communi, indecens foret, ut quidam inspicerentur cum toga violacea et alii cum toga nigra.

11. In omnibus aliis circumstantiis ultra jam praenotatas caudatarii utantur semper talari veste et pallio nigri coloris.

Die 14. Maii 1706.

(Anal. J. P. 1857 pag. 1929.)

3) Caudatarii Episcopi.

Ad dub.: An, quando Episcopus ipse defert Sanctissimum Sacramentum sub baldachino, ipsius caudatarius, qui saepe saepius est laicus et laicis vestibus indutus, incedere possit sub baldachino et intra baldachinum?

S. C. resp.: Caudatarius veste talari et superpelliceo uti debere et incedere post Episcopum, nulla habita baldachini ratione.

Die 11. Januarii 1852.

(Anal. J. P. 1853 pag. 1429.)

4) Clericorum.

Vd.: *Habitus Clericor.*; *Caeremon.* (vestis); *Sacerdos* (habitus); *Talaris.*

auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Septembris 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 338. Ed. Romae.)

b) In Synodo.

Vd.: *Episcop.*; *Episcop. titul. et regul.*; *Titul. et Regul. Episcopus.*

Sacrae vestes cujusque dignitatis seu ordinis gestandae sunt a Clericis Synodo interessentibus, ut ex antiquis Synodorum Constitutionibus et more moderno erudite tradit Benedictus XIV. de Synodo dioecesana lib. 3. cap. 11. n. 1. 2. et 3. Et imprimis Episcopus in Congregationibus antesyndalibus in aedibus episcopalis fieri solitis praesidet indutus habitu praelatio, rocchetto scilicet et mozzetta; cum ad Ecclesiam accedit Synodum incepturus aut prosecuturus incedit indutus Cappa; priusquam preces recitet, quae cujusque sessionis initio dicendae sunt, praeter superpelliceum, amictum et stolam induit pluviale rubeum. In solemnibus supplicatione seu processione, quae cum universo Clero in Synodi initio et fine per urbem institui solet, pergit indutus alba, stola, pluviali rubeo, Mitram pretiosam et pastorem baculum deferens et has easdem vestes in sessionibus synodalibus retinet: Idem loco citato num. 3. ex Caeremoniali Episcop. lib. 1. cap. 31. et Gavant. in praxi Synodi dioecesanae cap. 13. Secunda autem die Synodi recitat consuetas preces Defunctorum in pluviali nigro et tertia die assistit Missae cum stola et pluviali albo. Idem libr. 6. cap. 1. num. 4.

c) In variis temporibus.

Vd.: *Mozzetta*; *Rocchetto*; *Mantelettum*; *Regul. Episcop.*; *Titul. Episcop.*

Episcopus postquam ad suam dioecesim et civitatem et Archiepiscopus ad suam provinciam pervenerit, uti poterit vestibus violaceis sive laneis sive ex camelotto, superinduta super Rocchetto Mozzetta. Et domi eodem utetur habitu, saltem dum sit aliqua congregatio coram ipso Episcopo vel Ordinandorum examen vel aliquid simile; ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitanis, dum celebratur Concilium provinciale; quo habitu, scilicet, Mozzetta cum Rocchetto discooperto in dictis congregationibus utetur tam ipse Metropolitanus quam alii Episcopi provinciales, qui ibidem pro Synodo celebranda convenerunt. Eodem quoque habitu Episcopus indutus erit, quoties per civitatem et terras seu oppida suae dioecesis incedit. Sed habenda est distinctio temporum; nam in Adventu, incipiendo a Septuagesima per totam Quadragesimam, item in omnibus vigiliis, quibus jejunatur et in quatuor temporibus (exceptis his, quae incidunt post Pentecosten) ac sextis feriis totius anni, differens erit vestium gestatio, quia tunc Episcopum decet uti vestibus laneis et nigri coloris, excipiendo tamen aliquot dies, quibus signum moestitiae ostendi non debet, videlicet a die Nativitatis Domini et per totam octavam Epiphaniae, a die Dominicae Resurrectionis usque ad Dominicam SS. Trinitatis, item per octavas Festorum SS. Sacramenti, Assumptionis gloriosae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, Titularis Ecclesiae Cathedralis et sancti Patroni Civitatis ac Dedicacionis propriae Ecclesiae; item in anniversariis electionis et consecrationis ipsius Episcopi,

die adventus alicujus magnis principis vel cum celebratur aliqua publica laetitia: in aliis vero octavis, ut Nativitatis gloriosae Virginis, Sancti Joannis Baptistae, Sancti Laurentii, dies tantum octavarum excipiuntur; similiter omnia festa duplica, quae per annum incidunt extra Adventum, Septuagesimam et Quadragesimam, sed Annuntiationis festo, etiamsi infra Quadragesimam occurrat, vestibus violaceis uti debent. Haec quae dicta sunt, circa vestes quotidianas observanda sunt. Quoad Cappas vero, quibus Episcopi in propriis Ecclesiis utuntur, id erit observandum, ut regulariter sint laneae et violaceae, et non alterius coloris. In solemnioribus tamen festis, quae in rubricis Breviarii primae classis vocantur, dempto triduo ante Pascha, poterit Episcopus uti etiam cappa ex camelotto coloris violacei, nullatenus alterius coloris, quibus quidem cappis pelliculae albae circa collum et pectus de more consutae sint, quae deinde vigilia Pentecostes seu pro diversitate locorum citius aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, praeintimatis etiam Canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, remonentur et loco pellicularum sericum rebrum apponitur. Canonici vero regulariter in Ecclesiis, ubi illis utuntur, eas deponunt et loco earum assumunt cottas supra rocchetto. Caeterum, quod dicitur de hujusmodi Episcoporum habitu, tam capparum quam ceterarum vestium, non est intelligendum de Episcopis regularibus, qui non mutant colorem sui habitus neque induunt rocchetto, sed in Ecclesia propria uti debent cappa coloris suae religioni convenientis pellibus seu serico ejusdem coloris suffulta. Excipiuntur ab hac regula Clerici regulares Canon. regul., qui rocchetto utuntur et colore violaceo, ut et Presbyteri S. Spiritus et Militiarum s. Joannis, s. Jacobi et aliarum.

Omnes autem tam saeculares quam religiosi Episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur, cordulis pariter et floccis sericeis viridibus ab eo pendentibus. Galerus quoque duplicis formae habendus est, alter quo in solemnioribus equitationibus utuntur, ejusdem formae (praeter colorem) quo Eminentissimi Cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt, alter simplicior, uterque ex lana ac serico viridi exornati. *Extra Dioecesim et Ecclesiam suam Episcopi non utuntur Cappa cum in divinis Pontifice Maximo vel sacro Cardinalium Collegio praesente assistunt. Dum iter agunt, utuntur brevioribus vestibus cum manicis sub genu per palmum vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis ut supra explicatum fuit, circa collum vero fasciam sericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum vel circa, longitudinis fere ad mensuram vestium pendentium habere consueverunt. In Dioecesi autem vel Provincia mozzetta superinduenda est sine praedicta fascia.*

Caer. Ep. l. 1. c. III.

Ad dubium: Juxta Caeremoniale lib. 1. cap. III. n. 2. tempore Adventus et a Septuagesima ad Pascha etc. Episcopum decet uti vestibus nigris, excipiendo tamen aliquot dies festivos, quum celebratur aliqua publica laetitia; quaeritur autem: utrum excipi etiam debeant Festum Immaculae Conceptionis Beatae Mariae Virginis' feria quinta in Coena Domini et dies quibus Episcopus visitat parochias, quae visitatio est festivitas laetitiae?

S. C. resp.:

Feriam quintam in Coena Dom. non esse excipiendam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2197.)

6) Episcopi et Sacerdotis def.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Episcopus*; *Paramenta Episc. post obitum.*

7) Religiosorum non possunt indui a Saecularibus.

Vd.: *Repraesentationes etc.*

Saeculares utentes vestibus Religiosis ignominiose in ludis vel in lasciviis peccant mortaliter et incurrunt graves poenas et possunt puniri per Iudices saeculares. Unde *Concilium Mediolanense* 1. p. 2. tit. de Clericorum vestitu expresse statuit, quod induentes vestes Religiosorum ad mascheras gravi poena puniantur et etiam illi, qui eas commodant. Et *Ursaya Inst. crim. lib. 2. tit. 6. num. 112.* cum aliis ibi citatis observat, quod verbum *Maschera* derivat a dictione *Mascha*, quae apud Longobardos significat Kacodaemones et Lamias, exinde inferendo solum nomen mascherae horridum et perniciosum esse.

Hinc locorum Ordinarii aliique Praelati regulares non debent dare licentiam nec permittere, quod Moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, proprias religiosas vestes dimittant et assumant alienas mascheras. Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Ferrar. 27. April. 1664.

VESTITIO MONIALIUM

Vd.: *Bened. Monial. (missa)*

VEXILLIFER.

Non licere Vexillifero capite cooperto vexillum deferre nec inter Capitulares, sed detecto capite incedere debere inter laicos et contrarium absum omnino prohibendum. n. 3225, die 10. Jun. 1690.

VEXILLUM.

1) Cleri in processione.

Mantuana.

Cum institutum fuerit coram episcopo Mantuano a parochis et cappellanis civitatis Mantuae tamquam divisim viventibus a canonicis et beneficiatis cathedralis ejusdem, vigore eorum statuti sibi competere jus erigendi proprium vexillum et obtinuerint ex decreto praefati episcopi sub die 3. Jun. 1689 emanato, eisdem parochis et cappellanis licere erigere palium seu vexillum, sub quo incedere debeant in processionibus in eodem loco, quo incesserunt in processione divi Marci anni proxime elapsi 1689, modo capitulum et beneficiati praedicti recursum habuerunt ad hanc S. Rituum Congregationem pro infirmatione et revocatione praedicti decreti episcopi. Et eadem Sacra Congregatio utraque parte audita et informante, tam in voce quam in scriptis, referente Emo de Laurea, censuit decretum episcopi non sustineri et quoad locum audiantur interesse habentes; et ita decrevit et servari mandavit.

Die 11. Februarii 1690.

(Anal. J. P. 1865. p. 1311. n. 2411.)

Alexd. PP. IV. ad Clerum Urbis de processione, quae fit ad Basilicam s. Petri die festo s. Marci.

Provida de liberatione decernimus et irrefragabili constitutione sancimus ut Canonici tam saeculares quam regulares et monachi omnium parochialium ecclesiarum cum crucibus et aliis insignis consuetis, ecclesiarum vero presbyterorum et diaconorum cardinalium et monasteriorum cum crucibus propriis et vexillis, archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratum et cappellarum exemptarum et omnium a-

liarum, quae duodecim denarios vel plures pro hujusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argenti, aureis vel aliis, quas habent, et cum vexillis, si habent, et portare consueverunt, Clerici quoque aliarum capellarum, quarum singulae tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt vel cum propriis crucibus et vexillis, vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induiti vestimentis sericis, aut superpellicis, sive cottis, in eodem festo vadant processionaliter annuatim ad basilicam supradictam recepturi salarium vel presbyterium consuetum, quod eis per canonicos ejusdem basilicae et unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres Minores, Praedicatorum, Eremitae ac religiosi cujuscunque ordinis, cum crucibus in eodem festo processionaliter vadant ad basilicam memoratam.

Die 20. Apr. 1260.

(Bull. R. t. III. p. 671. Ed. Aug. Taur.)

Pius PP. VII.

Canonicis Colleg. s. Christinae Civit. Eugubinae.

Ut S. Crucis vexillum in capitularibus processionibus elatum praesefere possitis concedimus et indulgemus.

Die 22. Nov. 1805.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 394.)

2) Confraternitatis.

Facultas confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti loci seu Castri s. Petri Bononiensis dioecesis elevandi in processionibus proprium vexillum vulgo confalone o stendardo.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confratres archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti in loco seu in castro sancti Petri istius Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, erectae, quod cum jamdiu eadem archiconfraternitas in dicto castro instituta ac inter ceteras ejusdem castri confraternitates ipsa perantiqua ac ob pia opera, quae a dictis confratribus exercentur, maxime illustris existat, hinc ipsi, quemadmodum aliae confraternitates praesertim sub titulo sanctissimi Sacramenti in hac tua dioecesi solent licentiam elevandi in publicis functionibus et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo stendardo o confalone, eis per Nos concedi summopere possidere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis dictae archiconfraternitati seu ejus confratribus pro tempore existentibus licentiam elevandi in quibusvis processionibus et supplicationibus aliisque publicis functionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo